

stomachò quotidiè devorandum. Ex vastis ejusmodi pingvedine distentis corporibus, æquè vitæ insidiantes morbi prodire possunt, ac ex eqvo Trojano hostes latentes olim prorepserunt. Super sedeo vituperia varia hoc loco recensere, quæ aliàs de obesis, crassis & pingvibus traduntur, quod scilicet corporis moles obsit animi alacritati, nec multum ingeniosi ab iis expectandum sit: vel saltem suspicionem hanc de iis trita opinio & proverbia evulgant. Dixerim pene de iis, qui nimium curæ corpus pingvedificandi intenti sunt, quod pariter ac turdi sibi ipsis malum cacent: videlicet dum hi visci semen deglutitum & alvo redditum aliis arboribus imponunt, inde novum viscum capiendis avibus aptum progerminat. Sic *Pythagoras* cum offenderet aliquando quempiam insigniter obesum allocutus est ipsum ita: non desines tibi molestiorem carcerem *struere*, de quo *Erasmus l. 8. Apophtegmat.* Ergastuli instar esse corpus istiusmodi, in quo anima tanquam mancipium detineatur, nec liberè suas actiones exercere valeat, judicavit ac pronuntiavit etiam de athletæ cujuspiam corpore *Crater Thebanus*, teste *Maximò Monachò in sermone 27.* Dicta hæc pericula Germani quædam tenus exprimunt, quando de obesorum morte inopinata sermo est, dicentes: *Er ist in seinem eigenen Sette ersticket.* Licet itaque athleticus corporis status & sanitas videatur quibusdam concessa, attamen *Hippocratis 1. Aph. 3.* & experientiæ non simplicis testimoniò multis malis obesi obnoxii sunt. Idem de athletico illo habitu dicendum est, ac de pugna aliàs dicitur: quod finis non pugna coronet. Sic quo major est obesitas eo majus ac citius etiam malum metuendum est: summis enix stare diu negatum est. Commiseratione dignus obesorum status inter alia patet ex eo, quod iidem equulii aliorumque tormentorum, aliis delinquentibus sufferendorum, immunes pronuntientur in jure, de quo *Fort: Fidelis in relat. Med. l. 2. c. 3. p. m. 231. &c.* Autor ibidem p. 232. ita inter alia de obesis loquitur: revera nihil usquam est mali, cui illi objecti non sunt, qui corpore nimis sunt obæso. Etiam si obesitas non semper ad summum fastigium eversa est morbumque evidentem & actionum variarum læsionem sensibilem excitat;

citati;